paene omnia confitentur, non autem vilia et ignominiosa. De Virgine Maria errantes credunt eam fuisse sororem Aaron. Angelos dicunt habere corpora et ab illis Angelis daemonia facta, quae Adam adorare renueret. Patriarchas sanctos et prophetas dicunt fuisse Sarracenos, et homines diluvio periisse, quia noluerunt fieri Sarraceni, et quod Apostoli vere se Sarracenos professi sunt. Reprehendunt Christianos, quod habeant episcopos et presbyteros eosque deificent; sed et derisui nos habent, quod beatam Virginem quasi deificemus, dicentes, quod Christus apud Deum se de hoc excusat, quod modo non dedit matrem pro Dea. De Alchorano suo dicunt, quod non homo nec diabolus potest tam elegans, dulce mirabileque dictamen componere. Beatitudinem ultimam dicunt consistere in corporeis voluptatibus, crapula, aliave luxuria, ornatu etc. Coelum contendunt esse creatum ex fumo. Fumus dicitur vaporatio maris. Mare dicitur Mote Capff, quod cingit orbem et sustentat coelum. Solem et lunam pares in lumine a principio dicunt fuisse. Non erat distinctio diei et noctis, Gabel autem angelus volans [per] coelum rotam lunae ala percussit eamque sic obtenebravit. De morte dicunt, quod sit angelus nomine Adriel, qui in fine omnem occidet creaturam, etiam angelos, et demum se ipsum necabit; hoc facto omnes Deus resuscitabit creaturas, praeter mortem. Porro de virtutibus animae et de ultimo fine futuro quaedam dicunt. Uxorum pluralitatem praecipiunt nec sodomiam curant admittere. Enormiter in multis errant, de quibus multa scripta sunt in Fortalitio Fidei et in tractatu de Cribratione Alchorani.

Ende

Anfang

II. Graeci.

Habitant in Jerusalem multi Graeci, quorum ecclesia olim doctissimos habuit viros, nunc vero innumeris obfuscata est erroribus, praecipue tamen in quatuor articulis. 1. Spiritum sanctum non credunt a Filio procedere nec existentiam quandam habere. 2. Asserunt, defunctorum animas nec beatas nec damnatas esse ante latam, sententiam in extremo judicio in quo et Purgatorium negant. 3. Dicunt corpus Christi confici non posse, nec infirmentare. 4. Romanam ecclesiam negant caput

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;